1.

TRIADES NOVE

INVOLVULO
PHILO-THEOLOGIC

QVIBUS

MOSE
EVANGELIS

DISPUTATIONE PUBL

ALTDORFI D. VI. MAJI A.

ex

novem anterioribus Capitib

producere studebit,

PRAESIDE

CHRISTOPHORO
TAGIO,

SS. THEOL. DOCTORE E

PRIMARIO, ET GRAECAE LINGVA

PVBLICO, ECCLESIAE ANTISTI

ORDINIS SVI DECANO,

DOMINO PATRONO & PRAEC

omni honoris & observantiæ cultu ætat

AUCTOR RESPONDEN

M. WOLFFGANG CASPAR TRO

Dresdensis, SS. Theol. & Ministerii

LITERIS IOD. GVIL. KOHLESII, ACAD.

OVENAE
LORUM
OGICORUM,
S
EN
LISTAM
PUBLICA
JI A. MDCCXIII.
apitibus Geneticis
idebit,
I D E
ORO SONN-
O,
RE EIVSDEMQVE
INGVAE PROFESSORE
NTISTITE, ET H. T.
ECANO,
PRAECEPTORE SUO
ltu ætatem prosequendo,
ONDENS
TROPPANNEGER,
inisterii Candidatus.

SII, ACAD. TYPOGR.

Q. D. B. V. A.

SPecimen quoddam industriæ Academicæ, de rebus Animam spectantibus, Altdorffi quoque, propriis viribus conscriptum elaboratumque, in lucem ac eruditorum hominum conspectum editurus, de inveniendo haud vulgari argumento, eodemque non minus jucundo, quam utili, diu animum meum in diversa versavi. Quanquam enim antehac pro virili mea Præsidendo orbis eruditi oculis exposui argumentum, ex Rebus Philosophicis, & Ecclesiasticis depromptum, & in his Veterum Christianorum mores & instituta, ac duos cumprimis, piæ ac venerandæ antiquitatis Ritus, in quibusdam Dissertationibus enumeravi, quibusque temporibus singuli in cœtum DEO conjunctum, invecti fuerint, ex vetustissimis optimorum Scriptorum monumentis modeste commonstravi; nihilominus tamen mearum quoque partium esse censui, ut hoc tempore de rebus Theologicis, ad quas finis studiorum meorum tendit, aliquid exararem, ac operi manum adjicerem. Neque inveniendo hujus cogitatio solicitum me diu habere potuit, propterea, quod sanctissimum istud studium (cui a teneris memet dicavi) præclaram ac eximiam rerum notatu & admiratione dignissimarum

copiam mihi suppeditaturum esse, facile intelligebam. Ipsa tamen Argumentorum minime vulgarium, & maximo numero sese offerentium, varietas, eligendi potestatem optionemque difficilem quodammodo reddebat, adeo, ut, utrum nonneminem Adversariorum, qui ferarum modo proh dolor! in Ecclesiam orthodoxam irruere, ad certamen provocarem, ejusque dogmata Christo, puriorique doctrinæ plane contraria refutarem; an vero ex Theologia Mystica & aliis studiorum meorum partibus Thema quoddam eruerem, cui, præ ceteris pertractando, manum admoverem, dubius initio, incertusque, mecum deliberarem. Tandem tamen consilium cepi ex Theologiæ Hermeneuticæ atque Exegeticæ finibus accersitum Thema de MOSE EVANGELISTA *fusius disserendi, propterea, quod hanc vocem intactam fere relictam, atque a nemine, quod sciam, ex instituto expositam, & pro eo, ac par erat, singulari scripto excultam amplificatamque fuisse, viderem. Et quid, quæso, utilius est, quam interpretari Scripturam ex Scriptura, per Scripturam, & propter Scripturam? Quid suavius, quam in iis semper legere paginis, in quibus de Christo est scriptum? Hæc nimirum Scriptura est* מגלת ספר, κεφαλὶς βιβλίȣ; *quo nomine Scripturam S. Mosaicam Ps. XL. insigniri, neminem facile latere potest. Unde vero vocabulum isthoc originem traxerit suam, Scriptores alioquin eruditissimi inter se dissentiunt, & utplurimum in diversa abeunt. Secundum quorundam opinionem, & quidem, ut ita dicam, sensu proprio* מגלה *nihil aliud erat, quam talis membrana, seu charta oblonga, quæ alias, cum non legeretur, circa lignum, more Veterum, convolvebatur, eademque, quando erat legenda, revolvebatur. Si enim ad hujus ipsius vocabuli radicem sive stirpem respicio, statim facillima opera cognosco, illud a verbo* גלל convolvit, *descendere (quomodo apud Latinos quoque a* volvendo *originem habet* volumen*) testante Luca IV, v. 17. 20. Jes. XXXIV, 4. & Apoc. VI, 12. 13. 14. ubi de cælis dicitur,*

citur, quod instar libri convolvantur. Præclare itaque Sixtus Senens. Bibl. Sanct. scribit: מגלה *est genus chartæ oblongæ, circa se ipsam in modum spiræ complicabilis: perinde, ac si dixisset, esse* volumen chartæ, quæ plicari solet, & propterea appellatur volumen. *Et hinc est, quod* libri *Latine* volumina *dicantur, quoniam chartis plicabilibus olim scribebantur. Aliter vero alii hoc explicant, quod videlicet idem sit, ac* ספר *liber, & per pleonasmum elegantem dicatur* מגלת ספר *volumen libri, pro quo deinde absolute ponebatur* מגלה. *Et Hottingerus statuit, quod* ספר *ad differentiam epistolæ addatur, ita tamen, ut forma libri externa per* מגלה *simul subinnuatur. Cæterum Judæi in suis scriptis, tam sacris, quam profanis, huic vocabulo triplicem significationem potissimum adscribebant. Primo enim pro sola Epistola, cylindri in morem scripta, cujusmodi esse solebant orientales, sumitur. Rotulum vocant Notarii, quod rotæ instar volvatur. Deinde pro integro aliquo volumine, sive profano, sive sacro: & tum, uti supra notavimus, ad differentiam epistolæ addi solebat vox* ספר, *ut Ps.* XL, 8. LXX. *κεφαλὶς βιβλίȣ, i. e. βιβλίον διπλȣ́μενον. Tandem vero per Synecd. pro universo contextu sacro, juxta Talmudicum illud:* כל התורה איקרי מגילה דכתיב במגלת ספר Tota omnino lex, *i. e. S. Scriptura*, vocatur Megilla, sicut scriptum est: In volumine libri scriptum est de me. *Aliorum sententias lubens omitto, quoniam extra dubium positum fuisse censeo, quod Davidis tempore nihil pene potuerit intelligi, quam Pentateuchus, volumen legis, cumprimis autem sectio ista prima, quæ in revolutione primam quasi occupabat spiram; nec ambigo, quin simul respexerit Psaltes ad Prot-Evangelium Genes. III, 15. Syrus Hebr. X, 7. τὴν κεφαλίδα βιβλίȣ per* ܪܫ ܟܬܒܐ *h. e.* principium Scripturarum, *transtulit. Sive igitur hunc*

sequare, sive cum B. D. Geiero Praelect. in h. l. generatim & simplicius accipias eandem κεφαλίδα βιβλίου de toto legis codice, perinde, ac Scripturas scrutari jubet Salvator Joh. V, 39. perinde fuerit. Posterior quippe expositio anteriorem haud respuit; sed comprehendit. Ego vero nunc mearum partium esse existimavi, ut, Lutheri, Chemnitii, Lyseri, Glassii, Seb. Schmidii, aliorumq; complurium vestigia secuturus, ex eodem ipso Scripturarum principio, seu mavis, ex toto legis codice, ex integro integri Pentateuchi involucro, imo ex universis Sacro-Sanctae Scripturae capitibus omnium primis MOSEN EVANGELISTAM *producerem. Quod dum meditor, ita equidem res constitui temperare meas, ut, rubrica hujus disquisitionis indicante,* TRIADAS NOVENAS INVOLVULORUM PHILO-THEOLOGICORUM *eruditi Lectoris obtutui sistam. Singula quippe capita singulas mihi suppeditarunt triadas harum* מגלות, *horum* involvulorum *(liceat huc inflectere id vocabuli) quorum denominatione visum est Philologemata isthaec Theologica complecti. Caeterum ex Martino Chemnitio notum est, Evangelicas Vet. Test. promissiones de Christo in IV. posse classes dividi. Prima videlicet porrigitur a lapsu Adae ad diluvium, Gen. III, 15. IV, 7. V, 29. velut haec omnia explicantur Hebr. XI, 4. 5. 7. II. Petr. II, 5. & alibi. Secunda a diluvio usque ad Mosen, Gen. VIII, 21. IX, 26. XII, 1. 2. 3. XXVI, 3. 4. XXVII, 28. 29. XXVIII, 13. 14. 15. XXXII, 10. XXXV, 2. 3. 4. 6. XLIIX, 15. XLIX, 1. & seqq. Conf. Hebr. XI, 21. 22. &c. Tertia a Mose usq; ad Prophetas. Figurae enim Christi in N. T. allegantur ex Exod. XXV, 17. propitiatorium, Rom. III, 25. Hebr. V, 5. 6. 7. Pascha, 1. Cor. V, 7. Hebr. XI, 28. Totum Leviticum tractat Epistola ad Hebraeos. Nihilosecius ex Num. XXI, 9. de exaltato serpente Joh. III, 14. Et memorabilis est locus Deut. XVIII, 15. de Propheta magno, qui allegatur Actor. VII, 37. Quarta & ultima a Prophetis usque ad Christum, ubi tradita promissio David*

vid

vidi 2. Reg. VII, 12. 13. 14. 1. Paral. XXII, 9. 10. Salomoni, qui fuit typus Christi Matth. XII, 42. Repetit promissionem Esaias c. V, 1. XLIII, 3. LIII, per tot. Hoseas VI, 2. Amos IX, 11. 12. cujus Prophetiam allegat Jacobus Actor. XV, 17. & sic deinceps reliqui Prophetæ. Conf. B. D. Stegmannus in Photinianism. p. 229. *Ego vero hac vice hunc ordinem sepositurus,* Triadibus *tantummodo* Novenis *contentus ero* horum, *quos dixi,* Involvulorum. *Cæterum læto nunc animo ad ipsum laborem aggressurus, summum, quod omnia moderatur, Numen supplex ardentissimis precibus veneror, ut gratia sua benigniter mihi aspiret, oculosque animi illuminet, quo videam miracula in lege ejus, & omnia, quæ in Numinis æterni auspiciis sunt inchoata, feliciter ad finem perducantur atque terminentur.*

TRIADOS PRIMÆ
INVOLVULUS I.
De Verbo DIXIT Genes. I, 2. quod Johannes Evangelista c. I, 1. evangelice de FILIO DEI exposuit.

MOSEN igitur EVANGELISTAM orbi erudito Bono cum DEO producturo, in primis statim lineis Sacri Codicis Evangelium apparere videtur. In Capitis enim primi v. 6. perlegendo oculis meis se sistit vocabulum ויאמר, quod Evangelicum omnino est, & ab ipsomet Johanne Apostolo, ceu videbimus, Evangelice

gelice applicabitur. De quanam vero persona SS. Trinitatis sit capiendum & explicandum, id valde inter interpretes disquiri, in Theologia vel leviter versatus non ignorat. Quod ad Christi nominis hostes Judæos attinet, æque, ac Antitrinitarios, aliosque, negant illi & pernegant cum asseclis suis, Christum, Dei Filium unigenitum, sub eodem includi. Sed quam infirma sit eorum sententia, & quam ruinoso nitatur fundamento, dudum est evictum ac demonstratum. Quapropter & ipsis non suffragari, sed potius religiosorum & Venerandorum Theologorum doctrinis inhærere quam firmissime lubet. Varia vero sunt criteria, quæ, ut credam, quod de Filio DEI explicandum hoc vocabulum veniat, memet inducunt, &, quod non tantum Verbum mandati, sed etiam ὑποςατικὸν Verbum, videlicet Secunda Trinitatis Persona intelligatur, firmiter mihi persuadent. Primum itaque est: *Quandoquidem DEUS dicendo creavit, & quidem vocabulo proprie accepto, est utique in DEO aliquod Verbum, sive Sermo, per quem dixit.* In omni enim loquela, quando quis verba facit, duplex sermo est: Verbum, quod aliquis profert, & Verbum sive subjectum, per quod dicitur. Jam vero in assertione hac Verbum, non quod dicitur, non quod a dictione formatur, sed a quo procedit Verbum, ipsa videlicet dicendi virtus, per quam dicitur: Fiat Lux, fiat expansum, indicatur. Ab hac vero sententia ipsa Scriptura S. non discedit. Sic David in Spiritu S. dicit Ps. XXXIII, 6. Deinde: *Hoc Verbum erat in principio, atque ab æterno.* Sic dicit Moses: In principio creavit DEUS cœlum & terram. Et profecto fuit hoc Verbum die prima, cum lux crearetur; fuit tertia, cum aquae congregarentur; fuit etiam reliquis hexaemeri diebus, quæ

omnia

omnia satis superque clara esse judico. Provoco a Mose Evangelista ad Johannem Evangelistam, qui Evangelium suum exorditur iisdem fere verbis: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος. Porro: *Idem hoc Verbum in principio & ab æterno apud Deum, & intra ipsam divinitatem fuit.* Fuit enim Verbum hoc apud Deum non alium, quandoquidem præter Deum quicquam non erat, vel alius, qui Deus non esset. Omnia erant תהו ובהו. Fuit apud Deum, nec ab eo separatum, cum per id Deus locutus sit, & creaverit omnia. Fuit apud Deum, ut persona; fecit omnia, & creavit, quæ facta & creata sunt. Porro: *Fuit apud Deum, ut alia persona.* Proinde is, qui dicit per Verbum, non idem omnino cum Verbo est. Fuit intra ipsam divinitatem: necessario enim intra divinitatem esse debebat, quoniam erat ipse Deus. Quærenti igitur cuidam, ubi fuerit Λόγος, priusquam vel mundum condiderit, vel manifestatione per incarnationem in mundum venerit? respondet Johannes: Ἦν πρὸς τὸν Θεόν. *Deinde Verbum hoc Mosaicum erat Deus verus, unus, solus, æternus, Creator cœli & terræ.* Is est ille Deus, quem Moses vocat Eloah, & Johannes consentit: καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. Tandem quoque *origo verbi sublimis est, & incomprehensibilis.* Et quanquam intellectus noster ob infirmitatem non potest concipere; animus tamen non est abjiciendus. Quin humilitate pia potius accipiendum, quod ex singulari gratia ignorantibus est manifestatum. Ne quid de eo dicam, quod *per Verbum hoc omnia facta sint, & sine Verbo hoc factum sit nihil, quod factum est.* Cætera hanc in rem deduxit B. D. Seb. Schmidius Fascic. Disp. Theol. Philolog. a pag. 23 — 38. ex quo liquido manifestum est, Mosen in prima quasi linea Geneseos esse Evangelistam, ceu supra innui, nos-

que ad cognitionem Jesu Christi salvificam per verbum *Dixit* illico manuducere. In ipso quippe Filio Dei, qui est Verbum & Sapientia Patris, condita sunt omnia, visibilia & invisibilia, Coloss. I, 16.

INVOLVULUS II.

De Luce primigenia v. 5. quam idem Apostolus Paulus 2. Cor. IV, 6. ad Evangelium accommodavit.

MUltum inter eruditos disquiritur, fueritne illa Lux *Substantia*, an *Accidens*? & satius est appellare substantiam; quandoquidem omnia, quæ in hoc capite memorantur; substantiæ sunt, accidentia vero concreata potius, quam creata existimantur. Accedit, quod, si fuisset accidens, tum sine subjecto extitisset. Proinde mobilem eam fuisse, cum Luthero sentimus, quæ, circa rudem molem universi mota, accessu suo diem, recessu noctem, induceret. Alias dies illi tres ante solem conditum ad sequentes non fuissent juxta proportionem comparabiles. Nec tamen putandum, Deum creaturam suam quarto statim die redegisse in nihilum; sed potius illam in solis substantiam Dei jussu collectam, aggregatam & auctam fuisse quibusdam fit verisimile, ut lucem mundo clariorem spargeret. Conf. *Hunnius quæst. 1. in Genes. p. 37. seqq.* Cæterum Mosen hic esse Evangelistam, Paulus Apostolus testatur 2. Cor. IV, 6. ubi affirmat, Deum ex tenebris lucem exsplendescere jussisse, & luxisse in cordibus nostris ad radiationem cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi. Quidam hoc ita accipiunt, quod tenebræ

initio

creatæ durarint ſpatio noctis, & primam noctem conſtituerint, non quidem hoc ſenſu, quaſi tenebræ fuerint materia lucis; ſed Deus tamen hic ſuam omnipotentiam conſiderandam præbet, qui ex contrariis contraria, detracta ipſorum repugnantia, deducere poteſt. Vid. *B. Lyſer. in Adamo p. 23.* Evangelium hic tale continetur: Ex tenebris ignorantiæ lux veræ fidei orta eſt. Cor hominis videlicet ſe habet ad inſtar tenebricoſi loci ad lucem N. Teſtamenti, 2. Petr. I, 19. Ad diſcutiendas vero has tenebras Evangelium radiationem cognitionis gloriæ Dei producit. Ex analogia autem hac creatæ lucis ex tenebris colligere facile eſt, in eo, quod in ortu rerum factum eſt, & factum narratur, eſſe typum gratiæ, quam Deus ante mundi jacta fundamenta meditatus fuerit; nempe, quod 1) eſſet toleraturus tenebras, & inter tenebras lucem ſuam oſtenſurus; deinde etiam cum gloria ſua in cordibus oriturus ad illa illuminandum. Ita *Coccejus Tom. IV. Opp. p. 785.*

INVOLVULUS III.

De imagine divina ex v. 26. de quo etiam Evangelice loquitur Apoſtolus gentium Epheſ. IV, 24. Coloſſ. III, 10. qui ipſe primum & ſecundum Adamum contulit inter ſe 1 Cor. XV, 49.

QVæ v. 26. de imagine Dei in primo homine commemorantur, ea quaſi conſultationem SS. Trinitatis ſuper tanti momenti negotio inſinuant. Quod enim נעשה non ſit participium in Niphal, ſed prima pluralis in

 futu-

futuro Kal, contextus omnium clarissime evincit. Enimvero contra Socinianos annotandum, imaginem Dei in primo homine fuisse excellentem Dei, rerumque aliarum notitiam, nec non peculiarem sanctitatem & justitiam, utut non cognoverit 1) *arcana Dei decreta*, 2) *futura contingentia*, 3) *omnia individua*, v. gr. quot arenæ maris, quot lapides, quot aves; nec 4) *omnia experimentalia artium liberalium & illiberalium instituta.* Hæc enim ad gravitatem illius notitiæ sanctæ nihil attinebant. Et quanquam non esset absolute impeccabilis; non tamen habuit carnales cogitationes in statu innocentiæ, neque sensit luctam carnis & spiritus. Primus homo ante lapsum bonus, atque immortalis fuit; Idem tamen hoc non obstante liberos procreasset, arborisque vitæ fructu cibo, & potu usus esset. In quonam vero imago Dei præcipue constiterit, utrum in ipsa hominis substantia, sicuti Flacius & Flaciani contendêre; an formale ejusdem unice dominium in animalia fuerit, ut Socinus; an donum naturale, an vero supernaturale externum, ut Pontificii aliique somniarunt, fuerit, inter eruditos multum longeque disceptatum fuisse, constat. Nostra vero mens secundum ὀρθοδοξοτάτων nostrorum sententiam hæc est, quod imago Dei non solum in dominio, sed potius in perfecta sapientia, justitia & sanctitate constiterit; quodque non ipsa primi hominis substantia, sed accidens, non donum supernaturale, sed naturale fuerit. Vid. *B. Calov. System. Tom. IV.* & *Dn. Hollazii Exam. Theol. Acroamat. Part. II. Theol. c. 1. de Imag. Dei.* Ex hoc sane satis apparere sentio, Mosen nostrum Evangelice hæc scripsisse. Sic enim Paulus Apostolus Ephesios admonendo scribit, quod nos debeamus induere novum hominem, creatum in perfecta

fecta justitia & sanctitate. Ephes. IV, 24. & Coloss. III, 10. ad instaurationem ejusdem Evangelicam attendendo. Quid hoc, obsecro, aliud est, quam intus novari, & quidem in totum, ita, ut initium a mente fiat, quæ pars maxime intacta esse videtur ab omni vitio. Quid est Metaphorica hæc creatio? Nihil aliud, quam reformatio imaginis Dei in piis. Initio creatus erat Adam ad imaginem Dei, ut justitiam Dei, quasi in speculo, repræsentaret. Sed quoniam imago illa per peccatum est deleta, ideo nunc in Christo instaurari eam oportet. Vid. *Calvin. Comment. h. l.* Novus homo, homo renatus, qui alias vocatur nova creatura, 2. Cor. V, 17. Gal. VI, 15. Secundum Deum in regeneratione creandus erat, ubi imago Dei in nobis instaurata, & tunc homo novus indutus est. Quemadmodum de baptizatis dicitur, quod Christum induerunt Gal. III, 27. Consistit autem hæc instauratio imaginis Dei in nobis non in mutatione substantiæ, sed renovatione qualitatum, quarum duæ hic exprimuntur, justitia & sanctitas veritatis, quarum hæc virtutes primæ, illa virtutes secundæ tabulæ complectitur. Hæ erant in homine ante lapsum in excellenti gradu; jam vero instaurantur in iis, in quibus imago Dei renovatur. Si ergo primus homo consideratur, ut in statu integritatis adhuc constitutus, tum inter Adamum primum & secundum egregiam apparere harmoniam & collationem Evangelicam, quis facile negaret? Primus itaque Adam factus est in animam viventem; secundus Adam in spiritum vivificantem. *Augustinus* hanc in rem movet quæstionem: Utrum Adam Spiritum S. habuerit? *in quæst. ex utroque Testam. quæst. 123. Tom. 4.* hujusque suæ quæstionis negativam tribus argumentis confirmare studet. Primum argumentum de-

sumtum est ex loco Pauli: *Factus est primus homo Adam in animam viventem; secundus autem in Spiritum vivificantem. Primus de terra terrenus; Secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales terreni; Qualis cœlestis, tales cœlestes.* Alterum petitum est ex ratione: *Si prius gratia ista concessa probat*, verba ejus sunt, *tunc nihil novum adventus Christi contulisse dicatur.* Ultimum itidem deprōmptum ex ratione videtur: *Adæ certe terrena & carnalis fuit factura, non spiritualis. Non enim ex Deo, sive carne aut sanguine natus est, sed de terra a Deo factus est: ideoque non potuit Spiritum S. accipere, qui non erat spiritualis, & cui concessum non erat, Patrem Deum vocare in oratione.* Hactenus Augustinus. Sed quam falsa hæc sit sententia, facile omnes intelligunt. Si enim primus homo ante lapsum Spiritum S. non habuisset, utique nec Christus in restitutione imaginis amissæ Spiritum S. hominibus dare potuisset: imo luce meridiana clarius omnino est, Adamum amisisse commercium Spiritus Sancti, quamprimum totius humani generis perditori ac deceptori aures præbere non recusavit. Denique etiam minime conclusio tertii argumenti procedere videtur. Nam, quanquam corpora nostra terrena sint, nihilominus tamen ea quoque membra Christi & habitacula Spiritus S. esse, Paulus testatur 1. Cor. III, 16. VI, 15. Absurdum enim esset, velle concludere, substantiam corporis tollere gratiam Spiritus. Fusius hac de re disserit *B. Balduinus Comment. in h. l.* isque imaginem Dei melius describens Poireto, qui in *Oeconomiæ L. I. c. 14.* operose asserit, *æternæ miseriæ fundamentum in animæ natura delitescere naturaliter, & fundamentum inferni animæ naturæ inesse, ideo ei datum, ut misera fieret: imo hoc fundamentum inferni esse basin*

vitæ

vitæ æternæ solidissimam. Aliter Paulus, in qualitatibus antea laudatis imaginem divinam ponens. Vid. *Dn. D. Jäger. in Exam. Theol. Nov.* ubi non secus, ac in Dispp. quibusdam, novitates hasce solide confutat.

TRIADOS SECUNDÆ

INVOLVULUS I.

De Sabbatho c. II. 2. 3. quod Paulus ad Hebr. IV. ex Psalmo XCV. Evangelice interpretatur.

MEgalander noster Lutherus Paraphrasi in Genesin ad h. l. varia commentatur, quibus Mosen hic occultasse Evangelium, a Prophetis postea satis bene erutum, edocet. Cum enim Deus hunc septimum diem sanctificasse, eidemque benedixisse perhibeatur; quo verbo de operibus hexaëmericis Moses non utitur: cumque Paulus hinc in Epistola ad Hebræos introitum ad quietem Dei non modo per possessionem terrestris, sed maxime cœlestis Canaanis eliciat; ideo Lutherus inde arguit, non tantum gratiosam, sed & gloriosam immortalitatem Protoplastis a Deo fuisse promissam. Non tantum Sabbathum spirituale, sed & æternum in cœlis Deus ipsis paraverat, si quidem in statu integritatis mansissent. Ita vero Apostolus l. c. v. 2. *Etenim & nobis evangelizatum est, sicut & illis.* Hoc igitur est Evangelium de Sabbatho. Sed et hæc est litera de Sabbatho, ut denotet septimum diem, diem quietis: hæc allegoria, ut indicet quietem Christi in sepulchro:

chro: hæc tropologia, ut innuat Sabbatismum spiritualem & quietem a peccato: hæc tandem anagogia, ut simul cogitandam præbeat quietem beatorum in vita æterna. Conf. de Sabbatism. D. *Honejus Comment. in Epist. ad Hebr. p. 76.* Videatur insuper de Sabbatho Mystico Dn. D. *Jäger. Exam. Theol. Myst. Vet. & Nov. pag. 59. & seqq.* Est quippe mystice sabbatizare nihil aliud, quam spiritualibus ex toto vacare, totum se contemplationi addicere. Quod est Sabbathum illud delicatum, Es. LVIII. 13. in quo perfectissime cessatur ab omni opere servili, & vacatur tantum officiis filiorum Dei: atque adeo non hoc Sabbatho tantum laudatur & honoratur Deus; ac sacrificium Deo gratissimum, spiritus nempe contribulatus, in ara cordis, atque in igne & fervore devotionis purificatus, offertur. Requirunt itaque Mystici, ut fidelis anima tranquille, pacifice & quiete, sine ulla turba passionum in Deo vivat. Sed hoc in præsente imperfectionis statu, judice eodem Dn. Jägero, optari potest, sperari & obtineri non potest. *Sufficiat Tibi gratia mea*, Deus ad Paulum ait, tentationes suas deprecantem. Interim quoad ejus fieri potest, in hac infirmitate Sabbatismus ille Mariæ, optimam partem eligentis, præ Martha nimium sollicita et turbata, secundum voluntatem Dei peti potest. Plura de moralitate Sabbathi deque Judaici abrogatione Evangelica lege Dn. Præsidis Disp. de τάξει καὶ εὐσχημοσύνῃ Christianorum pag. 7. 8. 9.

INVOL-

INVOLVULUS II.

De Paradiso v. 8. de quo Mosen Evangelistam nobis exponunt Scripta N. Tti Luc. XXIII. 34. 2. Cor. XII. 4. Apoc. II. 7. XXII. 2. seqq.

EVangelium Mosaicum de Paradiso hic perlustrare jucundum nobis accidit. *Hottingerus* sane evolventi mihi occupatum sese satis præbet, idque statim in enucleatione ipsius vocabuli *Paradisus*. Quid enim per hanc vocem indicetur, autores in diversa abeunt, quidque certi debeant statuere, cum hæc vocula omnium pene gentium civitate donata sit, ut veræ originis lineamenta nativa multorum judicio perierint, se ignorare fatentur. *Mercer.* in Genesin *locum hunc amœnum hortum appellat*, quod esset velut nemus quoddam, uti Græci recte Paradisum ex lingua Persica, quod alibi notat Xenophon, nominant. Hæc fere *Buxtorffl.* & aliorum quoque mens esse videtur, qui Persiæ incunabula huic voci transcribunt; sed Græci omnino intercedunt, qui domi suæ natam vocem perhibent. Unde Suidas παράδεισον deducit παρὰ τὴν δεῖσαν ποιεῖσθαι, ὅ ἐστι συλλογὴ βοτανῶν congregatio herbarum. Plura adducere jam non lubet. Cui placet, adeat *Hottingerum Enead. dissert. Philol. Theol. Heidelbergens. p. 63. 64.* Hanc porro vocem apud scriptores tum sacros, tum Ecclesiasticos, variis accipi modis, neminem facile fugere potest. Aliquibus enim est hortus ille singularis, in quo Deus protoplastos collocarat. Aliis quilibet hortus, imprimis vero pomarium Cantic. IV. 13. Neh. II. 8. Eccles. II. 5. Aliis

cœlum, locus beatorum. Arabibus vero est hortus infra Lemamam Arabiæ, & pluraliter locus in Syria prope Damascum. Sensum vero literalem S. Scripturæ secuturis optime omnium hanc vocem de horto Edenis explicare conveniet; qui sane jure meritoque Paradisus appellandus erat, ob arborem vitæ præcipue, in illo constitutam. Hæc vero nomen suum exinde sortita erat, quod Protoplastis esset quasi pharmacum immortalitatis, prout jussu Dei post lapsum hujus arboris accessu prohibentur, addita ratione, ne forsan, extendentes ad hanc manum suam, de illa comedant, & vivant in æternum Gen. III, 17. perinde, ac, ab esu fructus de arbore vetita scientiæ boni & mali cum sibi non temperarent, astu Diaboli seducti, se & posteros suos proh dolor! temporali & æterno exitio involverunt. Paradisus, inquã, erat nominandus hic hortus ob lignum vitæ. Per lignum enim vitæ Christus ἀρχηγὸς ζωῆς mystice intelligitur. Hic est panis vitæ Joh. VI, 35. resurrectio & vita Joh. XI, 25. Adde Joh. XIV, 19. Præterea dantur nonnulli ex interpretibus, qui putant, unicam duntaxat arborem h. l. per lignum vitæ intelligi. Sed minime accurate illi mihi procedere videntur. Nam, quanquam inficias ire nolo, Christum per lignum vitæ intelligi, verisimilius tamen meo judicio est, statuere, non unicam tantum arborem, sed integram congeriem arborum in medio Paradisi collocatam fuisse. Quandoquidem in utraque parte fluminis ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν τοῦ ποταμοῦ lignum vitæ Apoc. XXII, 2. positũ fuisse dicitur. Quid vero prohibebit, per omnes istas arbores, generali vocabulo significatas, etiam Christum intelligi, prout hic unicus Mediator inter Deum & homines tot numero & specie distinctis vicibus in V. T.

fuit

fuit adumbratus? Sic itaque Christus latroni converso Paradisum Evangelio satis læto promittit. Sic vincenti Angelo Ecclesiæ Ephesinæ ipsum quoque Paradisum cœlestem, quem in capite omnium ultimo Apocal. fidelibus omnibus denuo pandit atque recludit, pollicetur. Cæterum quatuor Paradisi fluvios non desunt, qui allegorice de tribus principiis salutis δοτικοῖς, & medio ejusdem ληπτικῷ, expositum eant. Primus quippe fluvius paradisiacus ipsis gratia Patris; alter meritum Christi; tertius vocatio Spiritus S. quartus vera & salvifica fides vocatur. Quod est Evangelium longum & breve: Sic Deus dilexit mundum Joh. III. 16. Allegorice Paradisus repræsentat Ecclesiam, in qua dantur arbores pulchræ, & ligna frugifera, quæ sunt electi; dantur fructus, bona opera; dantur flumina gratiæ, diversa charismata. Fons quoque accedit, qui est ipse Christus, fons vitæ. Tropologice tandem opus & exercitium Adami, in colendo agro Paradisiaco positum, notat tabulam œconomicam, eandemque catecheticam. Arbor scientiæ boni & mali figurat legem; Arbor vitæ articulos fidei, qua vivimus Rom. I. 17. Gal. III. 11. Vapor orationem dominicam; Fluvii denique Baptismum & S. Cœnam, sanguine agni stagnantem. Quas meditationes apprime salutares subministrat B. D. *Botsaccus Moral. Gedanens. p. 149. 324.*

INVOLVULUS III.

De Conjugio Adami & Evæ, per quod Conjugium Christi & Ecclesiæ 1. Cor. VI, 16. Eph. V, 31. Evangelice insinuatur.

QUando dicuntur conjuges una caro v. 24. B. Gerhardus comment. in Genesin varias hujus deno-

minationis causas adducere allaborat. Videlicet unitas carnis his præsto est *propter voluntatis & dilectionis consensum*, Ephes. V. 29. *propter indissolubile vinculum* Matth. XIX. 6. *propter individuum vitæ consortium* 1. Cor. VII. 10. *propter copulæ conjugalis officium*, 1. Cor. VII. 3. *& cohabitationis conjugalis fructum*. Quæ quidem causæ bene sese habere videntur. Distinguendum tamen omnino esse judicarem inter id, quod verba, de unitate carnis loquentia, immediate, & quod mediate significant. Priori significatu illud sibi volunt hæc verba, quod conjuges habendi sint & habeantur revera apud Deum pro carne una, pro uno videlicet homine. Caro enim nihil aliud est, quam homo. Quo vero emphasis hujus vocis manifestior evadat, provoco ad Gen. XXXVII. 27. ubi de fratribus Spiritus S. dicit quod sint caro de carne & os de ossibus. Conf. Gen. XXIX. 14. 2. Sam. XIX. 13. 14. allegante hæc loca *B. Sebast. Schmidio Colleg. Bibl. prior. p. 371.* Breviter: Conjuges dicuntur una caro, quia est inter eos conjunctio animorum, conjunctio corporum, conjunctio familiarum, conjunctio patrimoniorum ac bonorum, conjunctio consanguinitatum, conjunctio liberorum, siquidem liberi, ex conjugio geniti, non ad Patrem tantum, nec ad matrem tantum, sed ad utrumque parentem pertinent. Dulcissime hæc omnia ad Christum & Ecclesiam sunt applicabilia, prout Paulus in locis supra allegatis nos ad has considerationes Evangelicas manuducit. Christus est a Patre constitutus Dominus omnium, & in coelestem Paradisum introductus; sed non vult solus manere, sibique sponsam elegit in terra, quae pari felicitate in cœlis cum eo fruatur. Quemadmodum ergo Eva ex costa Adami est aedificata, cum in somno ipsi latus aperiretur: Sic

Chri-

Christo, in cruce obdormienti, latus fuit apertum, & inde prodiit aqua & sanguis, quorum ministerio in Sacramento exaedificatur Ecclesia, quæ est caro de carne ejus, & os de ossibus ipsius, quaeque adeo aeterna cum ipso fruetur felicitate. Tandem, quod Eva ex viro conditur, admonet mulieres obedientiae, atque subjectionis erga maritos; quod autem ex costa fit, rursum monet uxores, ne affectent imperium, quia non ex capite viri sumptæ sunt, uti Poëtae fingunt de Pallade. Interim quia non ex pedibus sumitur, admonetur vir, ne uxorem contumeliose tractet, sed tanquam costam & carnem diligat, Ephes. V. Vid. *B. Hunnius l.c. & B. Polyc. Lyserus in Adamo p. 181.*

TRIADOS TERTIÆ

INVOLVULUS I.

De Semine mulieris v. 15. ubi scholion Lutheri primum Evangelium hic primo animadvertit; quorsum pertinet illud 1. Joh. III. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli.*

PRot-Evangelium igitur Mosaicum L. B. in medium producere animus est, quod ita erat pronunciatum: *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Me vero in hujus quoque vocis significatione non otiosum esse debere, statim perspicio. Premam autem, quoad ejus fieri potest, B. D. *Glassii* vestigia *Christol. Mos.* p. 118. & seqq. ubi præ hoc nostro spicilegio lar-

gissima messis inveniri potest. Non paucos enim dari, hanc vocem aliter atque aliter explicantes, certo persuasum habemus. Semen igitur mulieris non sumitur *collective* pro genere humano, sed μονοπροσώπως de Christo. Quoniam enim omnes homines, Christo solo excepto, sunt sub Diaboli potestate; ergo illi non possunt conculcare caput ejus. Nullus mortalium Diabolum propriis viribus vincere potest, Joh. III. 8. Conf. in hanc rem B. *Calovius Tom. III. Syst. p.* 131. Maximopere ea propter Pontificiæ Religioni addictos errare luculenter constat. Hi enim pronomen הוא non ad Christum solum, sed ad Mariam, vel etiam Ecclesiam, referre nullo modo dubitant. Id quod *Hottingerus* quoque in *Thesauro Philol.* ratione falsi, antiquitus in exemplari quodam admissi, fideliter annotavit. Sed eorum errorem statim apparere judico. Quod enim ad pronomen הוא attinet; illud est masculinum, & referendum ad זרע semen; & illud vero teste Paulo est Christus. Ita nempe Evangelium Mosaicum explicatur Gal. III. 16. Deinde verba & affixa ad הוא spectantia sunt masculina. Denique etiam nulli hominum, præter Christum, convenit conterere caput Diaboli virtute propria. Quin imo ipsum conteret caput, de Messia esse intelligendum, constanter urgent Patres magni nominis & celebrati. Postquam igitur Moses Evangelista Semen mulieris explicaverat, convertit sese ad objectum, quod erat conterendum, & denominationem affert *Serpentis. Conteret*, inquit, *caput Serpentis.* Qui serpentem pro Deo habent, omnemque honorem ipsi exhibent, eos hanc contritionem plane negare, satis superque constat. Alios vero non serpentem, sed improbos hoc loco intelligere, itidem liquet; quorum etiam sententias adducere

re supervacaneum esse censui. Nobis in præsenti sufficit, Prot-Evangelium isthoc tum ratione subjecti, tum prædicati expendisse. Subjectum quippe est concretum humanæ naturæ; Prædicatum autem est ἀποτέλεσμα opus Dei-virile, ubi humana natura non tantum ea, quæ humanitatis sunt, sed & divina agit, idque ex virtute divina per unionem hypostaticam sibi communicata. Ceterum Joannes 1. Epist. III. 8. Prot-Evangelii hujus Mosaici Exegeta dexterrimus, *subjectum* ponit *concretum* divinæ naturæ, ajens: Filius Dei dissolvit opera Diaboli.

INVOLVULUS II.

De Eva, vitam naturalem, spiritualem & æternam denotante, nec non de pellibus, quibus Protoplasti induti sunt; unde succus Evangelicus hic elicitur Ephes. II, 5. Vivificavit nos cum Christo, Gal. III, 27. Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis.

QVamobrem Adamus uxori suæ nomen Evæ indiderit, *Lutherus Comment. in Genesin* pulchre docet. Ipsius enim sententia hæc esse videtur, quod Adamus cogitationes direxerit suas ad vitam spiritualem & æternam, ad quam per contritorem Christum simus liberati atque redempti. Si quis vellet negare, hocce nomen omnium amœnissimum esse, & virtutem nostri refocillandi maximam habere; quid, dicerem ego, animam nostram tranquilliorem in his terris reddere potest, ipsa vita? Vita est, quae omnes thesauros, omniaque fortunae bona longe superare videtur. Apud Ju-

daeos quondam usitatum fuisse legimus, ut liberis nomina rosarum, florum, gemmarumque inderent; sed quod nomen Hevae omnium pretiosissimum sit, certo statuo, quandoquidem istud non de rebus pretiosis, aut visum delectantibus desumtum, sed ab ipsa vita accersitum fuisse constat. Ne quid dicam de illuminatione Spiritus Sancti, qua Adamo oculi aperti videntur, ut promissionem de conculcatore Christo optime intellexerit; quam ob causam nullis aliis animalibus nomen hocce indidit. Nisi enim vitam aeternam credidisset, nunquam tam hilari animo ipsum futurum fuisse, mihi persuasum habeo. Conscientia enim tranquilla reddita de gratuita remissione peccatorum, ipse quasi in vitam redire videtur, & in perpetuam hujus remissionis memoriam hocce nomen indit. Et sicuti ab hostibus liberati, & in pristinum statum redacti, tropaea instituere solent; ita quoque Adamus Evae suae id nominis vivis quasi coloribus in frontem quasi assignat. Late igitur augustum istud nomen Eva patet, ut non naturalem modo, sed & spiritualem, imo aeternam vitam, ad quam πρωτομήτηρ Deo filios generatura esset, ab Adamo significetur. Hanc vitam spiritualem in utroqne Protoplastorum non mediocriter confirmat novum indumentum pellium, quo a Deo amicti fuerunt. Lutherus hoc trahit ad mortem peccati, in quam inciderant, ut adeo vestes hominis lapsi fuerint propudium & peccati monumentum. Neque hoc solum, sed & Evangelium de beneficio redemptionis & sanctificationis hic delitescit. *D. Polycarp. Lyserus l. c.* hæc probe observavit, qui videri potest. Pelles quippe non conficiuntur, nisi animalia prius occidantur & moriantur; homo autem meritus erat, ut pellis ei detraheretur, & ipse moreretur.

Sed

Sed fuit hoc typus venturi Messiæ, qui innocens occidendus erat ob genus humanum. Hinc nobis datum est vestimentum salutis, & indumentum justitiæ, quo Deus nos circumdat, ut, quasi sponsus & sponsa, compareamus, nostraque peccata tecta sint. Legesis hoc Evangelium Mosaicum latissime deductum, Ps. XXXII, 1. de tectis peccatis; & in Apocalypsi de tecta nuditate, cap. III, 18. XVI, 15. Addesis Es. LXI, 10. Matth. XXII, 12. Rom. III, 14. Gal. III, 27. Et hæc est vestis, & hæc est vita Christianorum.

INVOLVULUS III.

De clausa & reclusa via paradisiaca v. 24. cum Christus sit via, veritas & vita, Joh. XIV, 6. Qua reseratione Paradisi ipsi quoque gaudent reconciliati nobis Angeli. Gal. I, 52. Coloss. I, 20.

Ex quo videlicet contra Dei mandatum peccaverant, & legem positivam universalem de non comedendo ab arbore scientiæ boni & mali violaverant Protoplasti, e vestigio privati sunt omnibus dotibus, tum naturalibus, tum supernaturalibus (internis puta, quorum accessionem etiam in statu integritatis præsto fuisse ***B. Königius*** noster docet, & huc supernaturalem Dei favorem, gratiosam SS. Trinitatis inhabitationem, & resultantem inde suavitatem & delectationem refert) nulloque ingenio assequi potuerunt, quod Deus misereri vellet, & quomodo; quandoquidem de veritate verborum Dei & immota justitia dubitari non poterat, & præsto erat

exemplum severitatis adversus Angelos, quibus peccantibus Deus non pepercerat. His desperatis rebus succurrerat quidem Contritor capitis serpentini; & tamen ex Paradiso relegatur homo, ne mittens manum suam, & edens de ligno vitæ vivat in æternum, quemadmodum antea fuerat prohibitus, quo minus ederet de arbore scientiæ boni & mali; nec tamen obtemperaverat. Ejectio igitur Adami & relegatio ex Paradiso præbet denuo nobis doctrinam Evangelicam. Adamus videlicet promeruerat mortem non tantum naturalem, sed & æternam; Deus tamen ex gratia propter intercessionem Filii, & futuram satisfactionem Seminis mulieris æterna morte ipsum punire, aut æterna vita ipsum privare noluit; sed in gratiam recepit, cum conditione tamen crucis, qua exercitata ipsius fides locum in cœlesti Paradiso feliciorem expectaret. Adi, si lubet, *Calixtum de Pactis* §. 21. Hinc Cherubim, quorum unus Paradisum clauserat, & custodiverat flammante & versatili gladio, per Christum, Reparatorem nostræ ἰσαγγελίας futuræ, nobis sunt reconciliati. Testis omni exceptione major est Paulus 1. Coloss. I, 20. ubi Pater dicitur *reconciliasse omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Imo Salvator ipsemet Joh. I, v. ult. ad Nathanaelem dicit: *A modo videbitis cœlum apertum & Angelos Dei ascendentes & descendentes super Filium hominis.* Id quod tota quoque Historia Evangelica passim comprobat, quando Angelos nativitatis, resurrectionis, conceptionis & passionis ejus socios nobis spectandos in medium producit.

TRIA-

TRIADOS QVARTÆ INVOLVULUS I.

De possessione fiduciali τȢ Θεανθρώπȣ in matre Eva, collata cum illo Apostoli Thomæ verbo evangelico: Dominus meus & Deus meus Joh. XX, 28.

Possedi virum Dominum, est notissima vox Evæ matris sanctæ, piæ & religiosæ. In hanc sepositis, nunc aliis interpretationibus, arrideant nobis assertiones hermenevticæ *D. Sebast. Schmidii l. c. p. 88. seqq.* Credidit nimirum pia mater Eva venturum aliquando Redemptorem Θεάνθρωπον. Credidit in hunc exhibendum perinde, ac nos in exhibitum. Non potuit itaque Cainum, ex maritali cohabitatione natum, pro gigante geminæ substantiæ accipere. Possidet igitur quilibet credens Messiam cum sancta Matre viventium, κτῆμα hoc γλύκιστον καὶ κάλλιστον amplexata, & beneficia ejus tanquam sua, cumprimis sub finem vitæ lætabundus apprehendit. Perinde ergo fuit, ac si Eva diceret: *Possedi Virum Jehovam; non dimittam ipsum in hoc vitæ periculo, usque dum benedixerit mihi: Teneo ipsum, nec dimittam eundem. Possideo ipsum tanquam Sospitatorem meum unicum, tanquam Sponsum, Sponsorem & Amicum longe optimum, qui meus est, & ego sum ipsius.* Quid multa? Est hoc ipsius Thomæ Evangelium Joh. XX, 28. ad Christum ajentis: *Dominus meus & Deus meus.* Hanc sententiam Schmidianam thymo Hyblæ sibi dulciorem fatetur *D. Pfeifferus l. c.*

INVOLVULUS II.

De Sacrificio Abelis per fidem accepto v. 4. coll. cum Hebr. XI, 4. simulque de Abele a Caino truncato v. 8. i. e. de Christo a fratribus Hierosolymitanis occiso Luc. XVIII, 33. Cantic. I, 6.

B. *Dilherrum* aliosque posterius hoc Evangelium Mosaicum salutariter explicuisse, constat; utque adeo per ὕστερον πρότερον hic procedamus, illustrat nobis Abelem a Caino truncatum, nec minus v. 8. quem Grammatici quidam Piscatum appellant, colloquium ex *Targum Hierosolymitano*, quod inter Cainum & Abelem in agro fuerit habitum, quodque nobis *Paulus Fagius Exegesi priorum capitum Geneseos p. 102.* sequenti verborum tenore exhibet: *Et dixit Cain ad Habel fratrem suum, egrediamur in agrum. Dixit Cain Abeli, fratri suo: Non est judicium neque judex, neque seculum aliud: neque merces bona dabitur justis, nec ultio sumetur de impiis: nec ex misericordia Dei creatus est mundus, neque misericordia ejus gubernatur: eo quod suscepta est oblatio tua a te cum beneplacito, a me vero non est suscepta. Respondit Habel, & dixit ad Cain: Est judicium & est judex: est seculum aliud, estque præmium bonum, quod manet justos, & ultio, quæ impios manet. Insuper & per misericordiam Dei creatus est mundus, cujus misericordia ab eodem regitur: Veruntamen propter opera bona gugubernatur, quia opera mea meliora sunt tuis, ideo suscepta est oblatio mea a me cum beneplacito; a te vero non susce-*

suscepta est cum beneplacito. Cum ita inter se duo isti rixarentur in agro, insurrexit Cain contra Hebel, fratrem suum, & occidit eum. Probabiles super hoc colloquio esse conjecturas, plenas pietatis, quamvis nihil certi referat historia, existimat *B. D. Balduinus Passion. Typica p. 384.* idque judice *B. D. Glassio Christolog. Mos. p. 165.* non absurde. Si hæc vera essent (addit *Glassius*) insigniter præfigurarent colloquia inter Christum & Judæos sæpe habita, quorum scopus itidem fuit, fore, ut aliquando humilem tunc temporis Filium hominis, in majestate cœlesti ad judicium redeuntem, conspiciant, & æternis, nisi serio resipiscant, adjudicentur inferni tormentis. Excanduerat in Abelem Cainus; similiter infremuit adversus Christum Pontifex Cainicus, vestimenta disrumpendo, blasphemiæ ipsum incusando, & cum reliquis sociennis ad mortem condemnando. Quod autem attinet ad sacrificium Abelis per fidem acceptatum, Mosen Evangelistam Paulus Apostolus denuo nobis interpretatur: *Per fidem*, inquiens, *Abel sacrificium præstantius obtulit Deo v. 4. per quam & testimonium accepit, quod esset justus, testante super donis ipsius Deo. Et per ipsam fidem mortuus etiamnum loquitur*, Scriptura de ipso testante, quod vox sanguinis ejus vindictam clamaverit, & quod a sanguine justi Abelis usque ad sanguinem Zachariæ martyria Sanctorum fuerint protensa. Onkelosius sic transtulit: *Quod non erga Cainum & oblationem ejus habuerit voluntatem; erga Abelem vero & oblationem ejus habuerit complacentiam Deus*; id quod secundum Hebræorum traditionem declaraverit igne cœlitus dimisso, qui oblatum absorpserit munus. Quod ipsi verbo Hebraico שעה i. e. *respexit*, & *amanter se ad aliquid convertit*, probare satagunt. Addunt iidem, in

illo igne, sacrificia absumente, Leonis faciem conspectam fuisse. Quod si verum esset, ecquis dubitaret, ea re adumbratum fuisse Leonem illum de tribu Juda, qui est Jesus Christus, Dominus noster & Salvator, cujus typi omnia fuerunt sacrificia, & quo solo omnia sacrificia nostra Deo placent & grata sunt? Vid. *Annotat. Fagii ad Onkelosium l. c.*

INVOLVULUS III.

De nomine Dei invocato v. 26. coll. cum Epist. Rom. X, 13. Qui invocaverit nomen Domini, salvabitur.

Filii Dei, utut postea deficientes Genes. VI, 1. verisimiliter magnam coetus hujus sacri partem absolverant, mensuramque cultus hujus publici utcunque explerant. Enimvero nobis non putandum, praeteritis annis in nomine Domini plane non praedicatum fuisse; verum, Ecclesia tunc erat valde adhuc contracta, ut intra privatos parietes cultus Dei perageretur. Postea autem cum natus esset Enoch, & ipse quoque filios & filias procrearet, qui & ipse contractis matrimoniis proprias colonias diducerent, factum hinc, ut, quando cultus sacer esset peragendus, jam ex diversis illis coloniis ad locum quendam publicum convenirent; atque sic non privatos amplius, sed publicos conventus sacros celebrarent. Invocatio nimirum nominis Domini nihil fuit aliud, quam doctrinae de Messia confessio, & Prot-Evangelii Paradisiaci praedicatio atque propagatio. Nihil utique salutarius nobis conventibus publicis esse potest, in quibus vera Dei agnitio inculcatur, & nomen Domini invo-

invocatur. *Hæc enim est vita æterna, ut cognoscamus Patrem, qui solus est verus Deus, &, quem ille misit, Jesum Christum. Joh. XVII, 2.*

TRIADOS QVINTÆ
INVOLVULUS I.
De Christo DEI & Adami Filio, v. 1, 3. coll. cum Luc. III, 23.

IMaginem Dei, & Adami imaginem multis parasangis inter se differre, capitis hujus initia me docere sentio. Imago Dei, secundum quam Adamus erat creatus, omnium nobilissimam pretiosissimamque rem fuisse, constat. Ibi videlicet nulla macula peccati neque in voluntate neque in intellectu aderat. Intellectus purissimus; memoria nulla oblivione debilitata ac misere vastata, voluntas verissima; conscientia omnium tutissima cum nullo timore mortis fuit conjuncta. Accedant itaque omnes, Deum autorem peccati facientes, & ex hoc capite Genetico a deviatione se reduci patiantur. Si enim Deus Adamum creavit ad imaginem suam in sanctitate & justitia, & tamen in ea non permansit, sed turpiter ex eadem est elapsus; alia sane origo ac fons, quam Deus, est quærendus. Sic, testante Johanne, *omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo 2. Joh. II. 16.* Accedant, nos ad imaginem isthanc in altera vita restauratum iri negantes. Isthanc enim ob causam Filius Dei venit in mundum, ut repararet in nobis imaginem Dei, secundum quam homo

mo creatus erat in justitia & sanctitate veritatis. Eph. IV. 24. Quid mirum itaque est, Mosen ea, quæ jam bis terve posita erant, omissis multis historiis repetere, iterum ac inculcare? Quanquam enim multos inveniri Theologorum constat, similitudinem ac imaginem pro Synonymicis vocabulis habentes, non minimum tamen omnino discrimen inter illa intercedere firmiter statuens Megalander Lutherus, צלם imaginem seu figuram erectam, דמות vero similitudinem imaginis cujusdam denotare supponit. Quam optata igitur verba hæc fuerunt: *Adamus creatus est ad imaginem Dei*; tam miserum e contrario fuisse enunciatum hoc invenio: *Adamus genuit filium ad* imaginem suam. Illa quippe pura & sancta; hæc peccaminosa erat. Chrysostomus sic interpretatur, quod Sethus fuerit imitator paternarum virtutum. De Caino dicitur id scriptum non esse, quia is fuerit degener, & impius: Sethum autem retulisse Patrem non modo vultu, sed & ingenio. Et hunc sequitur Lyra. Alii ita explicant, quod, quemadmodum arbores fructus tulerint secundum suum genus, & animalium unumquodvis generavit secundum speciem suam: sic etiam Adamus genuerit ad suam imaginem. Sed has sententias rem non adeo æquare, facile mihi persuasum habeo. Apostolus Paulus propius ad mentem Spiritus S. accessit, ostendens, aliam esse imaginem Adami lapsi, ad quam nunc omnes naturaliter nascimur, & aliam fuisse imaginem Dei, ad quam homo initio creatus fuerat. Verba enim ejus hæc sunt: *Sicut gestavimus imaginem terreni Adam; ita & gestabimus imaginem cœlestis.* Breviter: Omnes filii Adæ jam post lapsum nascuntur non ad imaginem Dei; non sunt amplius templa Spiritus S. sed carent gloria Dei. In ipsis mens,

cor

cor & voluntas incipiunt dubitare de praecepto Dei, & certitudine minarum seu pœnae infligendae ; & in illa haesitatione fluctuant, donec seducantur, & facto ipso contra illud Dei verbum tamdiu peccent. Post peccatum homo non potest se ipsum erigere; non scit, quae sint Spiritus Dei. Non potest pœnitentiam agere: vocatus fugit a Deo: Sentit se esse sub ira, & proinde inimicitias gerit cum Deo; non potest credere, Deum fore misericordem; multo minus se ipsum salvare. Atque sic periisset in aeternum, nisi Filius Dei Prot-Evangelium ex sinu Patris arcano singulari gratia protulisset, quo ipsum refecit atque animo requiem tribuit. Haec est illa imago Adami, cui natura similes sumus omnes, quicunque ex mare & fœmina procreamur. Hic iterum Moses noster Evangelistam se esse ostendit. Sic enim Lucas amice cum ipso conspirat. cap. III. 23. Lichtfootus in hunc locum plane a communi consensu Theologorum recedere videtur. Quandoquidem nullum alium quam Jesum θεάνθρωπον hic esse intelligendum putat, ut adeo sit sensus Jesum fuisse νομιζόμενον Filium Josephi secundum H. N. v. 23. & nihilosecius fuisse & esse Filium Dei, v. 38. secundum D. N. Verba ejusdem hæc sunt: *Cum dixerit Lucas v. 22. Vocem cœlestem pronunciasse Jesum Filium Dei, putasne eundem Lucam immediate pronunciare velle Adamum Dei Filium?* Qua in re cordatum Lectorem remitto ad *Horas Hebraicas & Talmudicas ejusdem p. 750. edit. Carpzov.* Nos sententiam dicemus, si occasio ministrabitur, in conflictu.

INVOLVULUS II.

De Henocho, Beatitatis obside v. 24. coll. cum Hebr. XI. 5.

INsignis est in Catalogo capitis quinti Genetici HENOCHUS, septimus ab Adamo, ceu eum Judas in epistola nominat v. 14. Et super hoc elogium istud pronunciatur, optabileque punctum fertur: Quod AMBULAVERIT CORAM DEO. Idem præcepit postea Deus Abrahamo, cap. XVII. 1. Quid vero notabilis illa phrasis sibi vult? Significat, doctissimo *Coccejo* ad h. l. differente, conversationem suam, vitam, actiones, intentionem, consilium instituere Deo Autore, &, tanquam consilio cum ipso communicato, in reverentia ipsius ut Judicis, ad ipsius gloriam hoc sibi faciendum ducere. LXX. explicant per εὐαρεστῆσαι. Id retinet Paulus Hebr. XIII. 16. qui idem etiam reddit per προσέρχεσθαι τῷ Θεῷ, &, ἐκζητεῖν τὸν κύριον. Quale ergo pietatis hujus raræ consectarium? Quale præmium? Id autem in eo ponebatur, quod desierit inter homines apparere, quodque Dominus ipsum לקח *assumpserit*. Explicat Paulus Hebr. XI. 5. *quod transpositus sit, ut non videret mortem, & non fuerit inventus*. Et verbum quidem לקח Judæi ita interpretantur, quod Deus sumpserit animam ejus, & ipsum morte affecerit. Sed non additur נפשו; & causa occisionis est commentitia, nempe quod fuerit inconstans. Sed idem verbum Es. LIII. 8. & Ps. XLIX. 16. itidem de assumptione ad Deum usurpatur. Voluit igitur Deus etiam ante diluvium extare testimonia vitæ æternæ præparatæ iis, qui cum Deo ambulant. Præterea hic ipse מתהלך את האלהים

de

de Domino, cum myriadibus Sanctorum venturo, vaticinatus est; & hoc præconio divinam suam καταστροφὴν abunde confirmavit. Quod uti legale quid; ita Evangelicum de vita æterna testimonium est ejusdem translatio, eo quod testimonium tulerit à Deo, quod ante translationem Deo placuerit, cum sine fide non sit possibile eidem placere, Hebr. XI. 5. 6.

INVOLVULUS III.

De Noacho, desideratissimæ quietis Viro v. 29. quod Evangelium Mosaicum probe intellexit Propheta Haggæus, II, 2.

CUm Noachus nasceretur, Lamech ejus parens exultans ait v. 29: *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus:* quasi dicat: Iam tandem natus est pomissus ille Consolator, qui a nobis auferet maledictionem, propter peccata in nos propagatam. Sic ergo Moses, ceu alicubi noster *Gerhardus* loquitur, brevibus hisce verbis complexus est, quicquid Patriarchæ ante diluvium crediderunt. Expectarunt quippe anxie promissum illud Semen mulieris, & in ipso omnem spem consolationis ac salutis repositam habuerunt. Ecquis enim magis consolari poterat, quam capitis serpentini Conculcator, in Paradiso promissus? Hoc Evangelium continua serie ab uno Patriarcha ad alium fuit propagatum. Neque his etiam ignotum fuit, ex qua linea genealogica sive familia nasciturus esset Messias. Hinc Moses non tanta cum prolixitate Cainianam in cap. IV. quanta Sethianam delineat genealogiam usque ad Semum Noachi filium,

ipsumque adeo diluvii tempus tam in nostro Cap. V. quam postea cap. XI. continua serie usque ad Abrahamum deducit; quandoquidem non ex Caini, neque ex Japheti, verum Sethi & Semi posteris fideles Messiæ nativitatem fore sperandam sciverunt. Ecce tibi, Lector erudite, partem Evangelicam in ספר תולדות genealogia, quam Moses struxit in capite nostro V. Adamica. Nec dubium est, quin ad desideratissimum Tranquillatorem isthunc digitum intenderit & cum Mose Evangelistam egerit Propheta Haggæus C. II. 7. 8. *Adhuc modicum est, & ego commovebo cœlum & terram, & mare & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desiderium omnium gentium.* Hoc Evangelista in Historia nativitatis testatur esse completum. Tunc enim omnino movebatur terra, mare, arida. Movebantur omnes gentes, quia ob edictum Imperatoris Augusti, quilibet ibat, ut censeretur. Movebatur coelum, quia Angeli e cœlis descendebant, canentes Deo gloriam. Movebatur terra; quandoquidem tunc veniebat Consolator omnis miseriæ & calamitatis humanæ.

TRIADOS SEXTÆ

INVOLVULUS I.

Tradit Evangelium Mosaicum de Noacho gratiam inveniente coram Domino c. 8. coll. cum Ephes. I. 6.

Intelligitur omnino gratia Evangelica, in Christo, mundi Redemptore donata, quam Noachus uti serio & solicite quæsivit, ita lætabundus invenit. Quandoquidem tam Hebræum מצא quam Græcum εὑρίσκειν dicitur

dicitur cumprimis de re, labore quæsita, unde verbis בקש & דרש respondet, deinde etiam de re, quæ fortuito aut insperato obvenit; uti de εὑρίσκειν docet Chrysostomus Hom IV. in Cap. II. Matth. & evidentissime constat tum ex Matth. XIII. 44. & Rom. X. 20. tum ex Gregor. Nazianzeno, qui de Saule, quærente asinas patris, ait: βασιλείαν εὗρατο; unde etiam εὕρημα Græcis est lucrum fortuitum ac insperatum; prout cum Beza docet *Ravanell. in Biblioth. sub voce invenire.* Proinde ex Hebræorum idiotismo *gratiam invenire in oculis alicujus* sive *apud aliquem*, sive *coram aliquo*, significat *favorem obtinere apud eum, esse in gratia cum eo, gratum ei & acceptum esse.* Involvit itaque Moses phrasi huic istud Evangelium, quod Deus Noachum ob Messiam, in quem pie credebat, gratuito favore & amore fuerit complexus (Conferantur super hoc Stylo Mosis Evangelico loca, Gen. XIX. 19. Exod. XXXIII. 12. 13. 16. XXXIV, 9. Num. XI. 14. 15.) quodque eam ob causam huic justitiæ præconi voluerit parcere, quo minus una cum reliquis mortalibus ab aquis diluvii abriperetur. Nimirum ἐχαρίτωσεν αὐτὸν ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, prout Paulus מבשר s. Evangelista μωσαΐζει Eph. I, 6. & Gabriel Angelus Mariam vocat κεχαριτωμένην Luc. I. 28. imo omnes Christiani fideles a Paulo κεχαριτωμένοι salutantur, utique denominatione magis emphatica, quam Græci quoslibet eruditos, & cumprimis artis Machaoniæ cultores, χαριέντων titulo cohonestabant. Talis multo potiori jure est Christus, utpote FILIUS DEI DILECTUS, IN QUO PATER COELESTIS BENEPLACITUM HABUIT, Matth. III. v. ult. unigenitus fere non secus, atque Isaac יחיד Gen. XXII. 2. audit, & Samaritani לביב corculum appellant. Vide-sis Devenerandi & de coetu puriore immortaliter meriti DN. D. PRÆSIDIS Tit. Psalm. p. 340.

INVOLVULUS II.

De eodem, vitam divinam agente, v. 7. quæ si ad ductum solius legis foret transacta, propter infirmationem ejusdem in carne Rom. VIII, 3. aut duntaxat hypocritica fuisset, aut desperabunda. Vid. Epit. Form. Concord. art. V. pag. 711.

PHrasin hanc Involvulus Henocheus jam antea dedit enucleatam. Nunc pia mens denuo expendere gaudet, quid sit *coram Deo ambulare.* Practici nobis repræsentant filium bonæ indolis, coram facie parentum nihil mali audentem; servum, coram Domino scelus verentem; discipulum, coram Præceptore facinora execrantem. Nec vero servilis tantum timor, ex pœnæ formidine & legis coactione conceptus, hic est; qualis etiam in malefico, ad extremum supplicium ducto, conspicitur; imo qualis vel in Diabolos, meliora desperantes, cadit: Verum omnia sunt filialia. Ecquid enim filios Dei deceant ista servilia, degeneres animos arguentia? Proinde tertius usus legis etiam ex parte renatorum obviat, dum bonorum operum imperfectionem arguit, opera vere bona docet, & veterem Adamum coercet. Nihilominus hic τὸ Legale & τὸ Evangelicum inter se discerni, quantumvis non separari, sed puncto quovis mathematico arctius conjungi debent. Infirmatur utique lex etiam in piis per carnem; unde, ne desperent, Evangelio hic opus est de Christo, a Patre in similitudine carnis misso, qui peccatum per peccatum

catum condemnavit, qui mors morti, qui inferno pestis, qui peccatum peccato factus est. Die Schrifft hat verkündigt das / wie ein Tod den andern fraß: Ein Spott aus dem Tod ist worden / Halleluja: prout non tantum in Paschali hoc Cantico, verum etiam in aureo Commentario in Epistolam ad Galatas hoc exposuit Lutherus. Velut itaque subinde legale quid admixtum habet Evangelium: ita & voluntas Dei legalis per Evangelium subinde illustratur atque confirmatur. Utrique Noachus, utrique & nos submitti debemus, nutum DEI sequendo, DEI præcepta observando, actiones imitando: ut adeo ex voce Dionysii Areopagitæ, prout vocatur, Christianismus noster in similitudine nostri cum Deo consistat.

INVOLVULUS III.

De eodem, in fœdus Dei recepto, & arcam ingresso, v. 18. coll. cum Hebr. XI. 7. Quod quidem pactum fuisse appendicem, determinationem & illustrationem primi pacti Evangelici, in Paradiso facti, probe observat D. Calixtus lib. cit. & 62.

AUtor Epistolæ ad Hebræos denuo viam nobis monstrat, qua ad intelligentiam Evangelii hujus Mosaici pertingamus c. XI, 7. ita scribens: *Per fidem divinitus monitus Noah de iis, quæ nec tunc videbantur, metuens paravit arcam ad salutem domus suæ, per quam damnavit mundum, & justitiæ, quæ est secundum fidem, factus est hæres.* Ponit Apostolus in Noacho fidem ante

ora-

oraculum, quæ ipsum moverit ad attendendum oraculo, & ei in timore atque sollicitudine obsecundandum ad salutem suam & suorum. Quod enim *hæres justitiæ* factus dicitur, illud *Grotius* perperam sentit eatenus factum esse, quatenus totius terræ factus sit Dominus. Quid vero Noachus in terra habuit præ Chamo & Canaane, qui non fuerunt hæredes justitiæ? Verum Noachum speraſſe redemptionem, & justificationem per Christum, inter alia satis claret, quoniam dicitur *hæres justitiæ ejus, quæ est per fidem.* Cum enim crederet de spe in spem, & præsentissimam mortem in undis conspiceret; fides tamen in ipso vicit, ut crederet, sese per omnipotentiam Dei superstitem aquis mansurum. Hinc etiam per fidem judicasse mundum dicitur, prout Deus ad ipsum dicit c. VII, 1. *Te solum vidi justum in ætate hac.* Sed hac de re postea. Jam, dum capitis V. nondum obliti sumus, Involvulo huic attexere juvat, quod capitis illius V. & VI. ab Adamo usque ad Noachum protensi, nomina Patriarchalia proponant nobis typica quædam Evangelia. Vid. *B. D. Glassius Christolog. p. 175. seqq.* In hac quippe Genealogia ADAM Primus & Secundus, ex Rom. V, 12. inter se conferuntur; siquidem Primus ille Adam est εἰκὼν substantialis Dei inconspicui, primogenitus omnis creaturæ Coloss. I, 15. & tamen nihilosecius ὁ ὑιὸς τῦ ἀνθρώπυ. SETH, *positum* denotans, præfiguravit eum, qui positus est ut lapis in Sione Es. XXVIII, 1. Petr. II, 6. Positus est ut propitiatorium Rom. III, 25. Positus est in Regem Sionis æternum Ps. II, 6. Positus demum est in Judicem, Act. XVII, 31. ENOSCH denotat miserum; qualis est Christus factus Es. LIII, 2. 3. KENAN a lamentatione vocatur; Christus ingressus Hierosolymam lacrymavit, Luc. XIX,

41. imo & in passione Hebr. V, 7. MAHALALEL celebratorem Dei significat, qualis Christus Ps. XXII, 23. seqq. JARED descendentem; at qui descendit, ipse est, qui etiam ascendit longe super omnes cœlos, ut impleret omnia, Eph. IV, 9. METHUSALACH mortis expulsorem notat, qualis Christus Es. XXV, 8. Hos. XIII, 14. Joh. XI, 25. 2. Tim. I, 10. HENOCH initiatum, cui Christus in Baptismo suo a Spiritu S. initiatus, commode assimilandus. Taceo οὐρανοβασίαν Henochicam, Christo in cœlos ascendenti quasi præludentem. LAMECH attenuatum sive pauperem indicat, typum quippe Pauperis Matth. VIII, 20. 2. Cor. VIII, 9. a quo pauperes εὐαγγελίζονται, Matth. XI, 5. NOACHUS tandem, in quo subsistimus, quietum nobis designat, Christi typum utique satis illustrem, qui animæ quietem nobis pollicetur constantissimam Matth. XI, 29.

TRIADOS SEPTIMÆ

INVOLVULUS I.

Continet Evangelium Mosaicum de eodem Noacho justo v. 1. coll. cum 2 Petri II, 5. per fidem Ebr. XI, 7. & non per merita operum coram Deo tali.

REvertimur, præeuntem nostrum Prophetam Mosen secuti, ad Noachum, ejusdemque justitiam, Evangelice πρώτως, legaliter autem δευτέρως considerandam. Erat quippe in ipso justitiæ perfectio absoluta, justitiæ videlicet Servi Dei justi, Es. LIII, 11. 2. Cor.

V, 21. ejusdemque imputatæ Rom. IV, 5. 2. Cor. V, 19. Genes. XV, 6. cum nihilosecius justitiae inhaerentis, sive habitualis perfectio restricta sive limitata in eodem secundario inveniretur. Etsi nempe Messias, nos a peccatis salvando, id meruit nobis, ut bona opera faciamus: idem ille tamen etiam hoc nobis meruit, ut bonorum operum nostrorum imperfectionem agnoscamus, 1. Cor. IV, 4. Ps. XIX, 13. Rom. VII, 18. eadem plus nimio non attollamus, veterem Adamum crucifigere, dum hic vivimus, pergamus, nedum opinemur, peccata nostra tum moraliter, tum ita realiter ex nobis expulsa esse, ut ea non amplius in carne persentiscamus. Jucundum hic est observatu, denominationem JUSTI Noacho saltem typice, Messiae autem principaliter competere. Huc enim totum Vet. Test. Evangelicum inclinat, ubi ille dicitur צדיק *justus* καὶ' ἐξοχὴν Es. LIII, 11. Zachar. IX, 9. יהוה צדקנו *Jehova justitia nostra* Jer. XXIII, 6. מדבר בצדקה *loquens in justitia* Es. LXIII, 1. שמש צדקה *Sol justitiæ* Malach. IV, 2. (ubi per alas sive pennas solis intelliguntur ejusdem radii, quibus, in inferiora missis, omnia vegetantur & vivificantur) imo & צמח צדקה *germen justitiæ*, Jer. XXXIV, 15. Vid. *B. Glassii Onomatol. Messiæ prophetica p. 71. seqq.* & vero non tantum intelligitur justitia *personalis*, qua ipse Christus in se justus & sanctus est, imo Sanctus sanctorum, ratione quidem naturae divinae *essentialiter*, ratione vero humanae communicative & *personaliter*; sed etiam, & præcipue justitia *Officii*, & quidem 1) justitia *Sacerdotii*, qua justitiam sua obedientia activa & passiva Salvator reparavit, eandemque credentibus per Verbum & Sacramenta applicat. 2) Justitia *Regni*, qua ecclesiam gubernat, defendit, credentes & pios munerando, impios vero perdendo & justis pœnis afficiendo, Ps. XLV, 5. 7. 8.

IN-

INVOLVULUS II.

De arca janua occlusa v. 16. Conf. Beneficium istiusmodi Evangelicum Es. XXVI, 20.

Est omnino vox hæc: Und der HErr schloß hinter ihm zu / benignitatis divinæ erga Noachum index, dum videlicet Ecclesiam suam abscondit Dominus in arca quadam, in cubiculis suis, donec pertranseat indignatio, idque saltem ad modicum, ad momentum, more pastoris, qui ingruente tempestate, oves suas domum agit ad ovile; aut more fidelis matris, quæ liberos suos a consortio malorum abripit & occultat. Hoc bene expendens *Gregor. Nazianzenus* versum notissimum decantavit: Ζητῶ Νῶε κιβωτὸν, ὅπως μόρον αἰνὸν ἀλύξω. *Novit utique Dominus pios e tentatione eripere, injustos autem in diem judicii pœnas dantes servare*, id quod Petrinum extat *2. Epist. c. II, 9.* Clausa cubiculi janua suaviter dormitur; nihilosecius de morte piorum sentiendum esse judico. Illa proprie non habet rationem mortis, sed somni suavissimi, idque ratione laboris præteriti, quietis præsentis, & resurrectionis futuræ. Si Deus claudit sepulchrum, velut clausit arcam Noæ; quis, quæso, militum aut hostium exuvias corporum nostrorum sanctas, & ab Angelis custoditas, violabit?

INVOLVULUS III.

De Noacho eodem & familia ejusdem, aquis diluvii superstite v. 23. coll. cum 1. Petr. III, 20.

ubi fœdus Noachicum & stipulatio baptismalis, per quam in arcam Ecclesiæ intramus, conferuntur.

QVemadmodum multis aliis argumentis patet fides Noachica: ita & exsplendescit ex fœdere, quod cum Deo inierat. Salvatio quippe Noachi cum domo ejus ex aquis diluvii, & ex morte corporis præsentissima, fuit ipsi symbolum τοῦ ἐνεχύρου καὶ ἐπερωτήματος. Dignus hinc censebatur, qui acciperet libertatem conveniendi Deum, & ab eo petendi vitam æternam & resurrectionem carnis. Hæc sunt illa μὴ βλεπόμενα non visa, quæ sperantur, quæ æterna sunt, 2. Cor. IV, 18. Quandoquidem igitur Noachus per fidem justus pronunciatus fuit, factus est etiam hæres justitiæ, quæ est secundum fidem; ita quoque Baptismus respondet diluvii aquis. Imo ipsa arca considerari potest secundum elevationem ab aquis factam: Ita nempe baptizati elevantur ad Deum in arca Ecclesiæ. Cum autem aqua sit res inundans, Baptismalem a peccatis purificationem, tanquam antitypum, figurat. Et sic, Apostolo Petro præeunte, fœdus Baptismale cum fœdere Noachico quandam habet convenientiam. Sicut enim olim, cum Spiritus Christi per Noam praedicaret incredulis, Noa cum suis servatus est in aquis diluvii: ita nunc quoque, postquam Christus in carnem venit, & pro nobis mortuus est, & Evangelium suum per Apostolos in toto mundo praedicat, per aquam Baptismi salvi fiunt omnes, qui resipiscunt, & praedicationi illi credunt.

TRIA.

TRIADOS OCTAVÆ

INVOLVULUS I.

De folio oliva a columba Noachica decerpto v. 11. Lutheri scholion: Das Blat bedeutet das Evangelium / welches der Heil. Geist in der Christenheit hat predigen lassen. Denn Oel bedeutet Barmhertzigkeit und Friede / darvon das Evangelium lehret. *Conf.* Rom. V, I.

QVaenam potissimum significatio istius folii olivae, de quo Mosen Evangelistam mentionem facere legimus, a Spiritu S. intendatur, Viri eruditissimi inter se non omnino conveniunt. Megalander noster Lutherus in Cantione sua cygnea, Paraphrasi laudata in Gen. per illud folium nihil aliud, quam fidem; Bellarminus & alii opera misericordiae; alii Spiritum S. qui est oleum laetitiae Ps. XLV, 8. quo omnes in S. Lavacro largiter ungimur 1. Joh. II, 27. intelligunt. Cur vero Spiritus S. oleo comparetur, notissimum est. Hae omnes quidem sententiae ita comparatae sunt, ut neque analogiae fidei, neque mediis hermeneuticis sint contrariae. Ab oleo alias non vulgares & oratoribus sacris haud inutiles meditationes posse desumi, facile persuasum mihi habeo. Sicuti enim olivae folia non defluunt; ita etiam virtus & pietas semper debent virere, & in Christo, vera olea, florere. Oleum est symbolum pacis,

victoriae, misericordiae ; hinc etiam in sacrificiis adhibitum fuisse oleum legimus, Levitic. II, 2. 3. ut Dei Patris ac Filii misericordiam erga peccatores ac reconciliationem cum hilaritate significaret. Plura desiderans adeat *D. Botsacci Moral. Ged. r. p. 731.* Hic denuo, Mosen nostrum Evangelice sc.psisse, facile apparet. Christus enim est illa columba, quae folium oleae in ore sanctissimo portans, mortalibus pacem optatissimam ac reconciliationem cum Patre & angelis annunciavit. Id quod Paulus, Gentium Apostolus, φερόμενος ὑπὸ τοῦ Πνεύματος ἁγίου, perpulchre eloquitur, Rom. V, 1. Quocirca omnes veterum & recentiorum sententiae ad idem centrum tendunt: quorum alii per columbam Christum, alii Spiritum Christi, alii Evangelium, alii gratiam Dei, alii ministerium gratiae & Evangelii indicatum fuisse, arbitrantur.

INVOLVULUS II.

De fragrantia sacrificii Noachici coram Domino v. 21. coll. cum Ephes. V. 2.

QUandoquidem per manifestam ἀνθρωποπάθειαν Deus odorari odorem quietis, odorem gratum, odorem recreantem, dicitur, cum placatur & acceptum habet sacrificium, quod offertur, nolumus in præsentia multi esse in indaganda phrasi, quam imitandam sibi duxit Diabolus Deus simius. Etenim Homerus canit:

Κνίση δ' οὐρανὸν ἷκεν ἑλισσομένη περὶ καπνῷ.

Sic Ovidius:

Et Diis acceptus penetravit in æthera nidor.

Exau-

Exaudiebantur autem a vero Deo preces, quæ solebant cũ sacrificiorum oblatione & incineratione conjungi Ps. XX. 4. Nempe enim hujus sacrificii Noachici fumus & odor, qui cum fumo ascendebat ad similitudinem suavis odoris, placuit Deo, & quasi foetorem peccatorum humanorum abstersit a naribus Dei. Paulus appellat ὀσμὴν εὐωδίας, hæc omnia ad Christum trahens l. c. Sicut autem Christus dilexit nos, ita, ut se pro nobis in victimam Deo gratissimam suavissimamque immolandum, in cruce dederit; ita nos invicem diligere debemus, & non tantum injurias mutuas condonare, vitam pro salute proximorum exponere, sed & beneficentiam erga ipsos ὀσμὴν εὐωδίας ac θυσίαν spiritualem exercere debemus Philipp. IV. 8. Sic prædicatio Evangelii tanto majores habebit profectus: Sic ab ortu solis usque ad occasum incensum mundum offeretur Domino: Sic Ministri Ecclesiæ, qui Evangelium annunciant, erunt odor suavis, ceu bona fragrantia Deo 2. Cor. II. 14. 15. Et sicut illa victima Christi fragrantissima fuit Deo suavis; ita & fides nostra ipsi placebit.

INVOLVULUS III.

De divino promisso non reducendi diluvii v. 21. coll. cum Es. LIV. 9. 10.

QUemadmodum peccaminosa hominum miseria Deum hic dicitur commovisse ad misericordiam: ita Evangelista V. T. Esaias c. LIV. 9. Evangelistæ Mosi succinuit: *Sicut in diebus Noæ mihi est, cui juravi, ne inducerem aquas Noæ ultra supra terram; sic juravi ut non irascar tibi, & non increpem Te. Montes enim com-*

commovebuntur, & colles contremiscent. Misericordia autem mea non recedet a Te, & Fœdus pacis meæ non movebitur, dixit Miserator Tuus Dominus. Quasi dicat: Videor mihi esse in diebus aquarum Noæ; aut ira mea erit instar diluvii, quod accidit tempore Noæ, inquit Vatablus. Sicut enim ira Dei peccata mundi sub Noæ diluvio obruit: ita & gentiles omnes perdidit, & damnavit per Christum. Rursum sicut Deus juravit Noæ, se non amplius perditurum homines diluvio: Ita juravit Christo, se non amplius perditurum ecclesiam ex gentibus collectam. Noæ & diluvii meminit 1) quoniam in Noa cepit renovatio tam generis humani, quam Ecclesiæ, quam tunc Deus sibi despondit. 2) quoniam Noa renovator generis humani typus fuit Christi Redemtoris, aqua diluvii typus Baptismatis. Arca typus Ecclesiæ; iris typus crucis Christi est. Hæc enim Deum iratum placat; prout ex Justino Martyre contra Tryphonem hic commentatur *Cornelius a Lapide p. 447.*

TRIADOS NONÆ.

INVOLVULUS I.

De benedictione Noachi & Noachidarum a Deo accepta v. 1. seqq. coll. cum C. XII. 3. XVIII. 18. XXII. 18. XXVI. 4. Gal. III. 8.

ET *Deus benedixit Noacho.* Hæc sunt L.B. verba illa, quibus Mosen Evangelistam Capitis IX. initium fecisse legimus, & de quibus paulo accuratius agere animus est. Vocabulum ברך duplicem habere significationem

gnificationem, & in S. Codice maledictionem & benedictionem simul denotare, nemini facile ignotum fore, plane confido. Hanc quoque causam fuisse, quod viri eruditissimi de praeceptis Noachidarum varia in lucem ediderint, ad credendum inducor. Quaenam vero praecepta illa fuerint, *Seldenus in egregio libro de jure Naturali & Gentium* juxta disciplinam Ebraeorum accurate demonstravit. Septem videlicet Ebraei numerabant praecepta, quorum *I. de idololatria fugienda* pro fundamento habuit absolutissimam Numinis unitatem incommunicabilemque Majestatem. Hanc si negaret Deus, semet ipsum negaret. Convenit igitur hoc ipsum praeceptum legi ejusdem archetypae seu aeternae, quam postea in ectypa fuisse expressam, legimus: *Ego sum Dominus Deus tuus: Non habebis alios Deos coram me.* II. *de blasphemia fugienda* pro fundamento habuit immutabilem Numinis sanctitatem, quam si Deus negaret, itidem semetipsum negaret. Convenit igitur illud aeternae sanctitatis hujus divinae regulae, quae postmodum in lege ectypa sic exprimitur: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* III. *de effusione sanguinum fugienda* fundatur in concreata hominibus imagine Dei, quae est radius divinae justitiae, expressus in quinto praecepto: *Non occides.* IV. *de revelatione turpitudinum fugienda* fundatur in eadem concreata nobis Dei imagine, quae est radius divinae sanctitatis atque castitatis in sexto praecepto: *Non maechaberis* expressus. V. *de rapina fugienda* fundatur nihilosecius in concreata nobis imagine Dei, radio videlicet rectitudinis, aequitatis & justitiae, qui in septimo praecepto: *Non furtum facies*, repraesentatur. VI. *de judiciis* generale est, & ad concreatam nobis justitiam ac rectitudinem perinde, ac anteriora dictamina, reducitur. VII. & ul-

timum denique *de membro animalis vivi non comedendo* ad eandem Dei imaginem, in virtutibus secundae tabulæ, adeoque in aequitate, humanitate, omnisque crudelitatis abhorrentia positam, tanquam ad rationem moralem commode revocatur. Legi in hanc rem merentur commentationes *DN. PRÆSIDIS super moralitate legum ceremonialium & forensium.* Quemadmodum vero, quando leges promulgantur, & pœnae & praemia simul indicari solent; alias enim frustra omnino & incassum praecepta & interdicta essent futura, quod *Seldenus* supra allegatus *lib. cit. p. 543.* docet, ita quoque & hic judicia non aberant, quibus violatio coërcita, pœnaeque irrogatae fuerunt. Et quid mirum exinde, quod Noachus cum suis a Deo esset benedictus, quoniam praecepta custodierat & in ipsius viis seculo ambularat? Non solum autem Noachus hac benedictione a Deo fuit obrutus, sed omnes quoque pii & fideles ejusdem felicitatis participes esse possunt, quando nimirum, sicut Noachus, vitæ suæ cursum instituunt. Hac in re enim Paulus cum Mose Evangelista amice conspirat Gal. III. 5. & idem Evangelista alibi testatur, C. XII. 3. XVIII. 18. XXII. 18. XXV. 4. quibus in locis de Semine benedicto, Messia, Jesu Christo, agitur; & benedictio isthæc Evangelice potius, quam legaliter, applicatur.

INVOLVULUS II.

De signo iridis, per quod fœdus Noachicum corroboratum fuit v. 11. 12. 13. coll. denuo cum Es. LIV. 9. Vid. Calixtus l. c.

De

Dum iride illa non morabimur multum variantes eruditorum sententias: Considerari videlicet illa potest vel Physice, vel Theologice. Physice si consideratur, subjectum ejus est nubes rorida, ceu loquitur Magirus. Existit enim in nube, uti in nostro oraculo extat: *Ecce in nube posui arcum mecum*; unde etiam vulgo appellatur arcus cœlestis, quia nubes, in qua existit, est in cœlo, i. e. in aëre. Tempus, quo apparet, est dies pluviæ, Ezech. I. 28. Proprietas est, quod sit μετέωρον admirandum, in quo gloria Dei maxime refulget. Unde arcum hunc vidit Ezechiel, ut hoc gloriæ Dei testimonio magis afficeretur, cap. I. 28. & arcus s. iris dicitur fuisse in circuitu Christi Apoc. IV. 3. & supra caput ejus C. X. 1. in symbolum gloriosæ Christi Majestatis. Quæ posteriora tamen ad considerationem iridis Theologicam magis attinent. Huc enim referendus est finis iridis supernaturalis, cujus ratione illa erat index bonitatis & iræ divinæ suspensæ. Alii ipsam agnoscunt tanquam aliquod symbolum Spiritus Sancti per Verbum testificantis, nec non gloriæ & veritatis divinae in Scripturis Prophetarum illucescentis. Fueritne iris ante diluvium, itidem disquiritur; & a compluribus ita diluitur quaesitum, extitisse quidem eam ratione *rei*, non autem ratione *signi*. Afferri sane possunt causæ Physicæ, B. Hunnio observante l. c. (quantumvis Thaumantias iris, ab Ovidio eluvioni aquarum Deucalioneæ praemissa, huc non pertineat) quibus antea quoque iridem fuisse, comprobari posse videatur. Iris enim generatur in nube rorulenta, quando radiorum solarium refractione, & confusione quadam luminis & umbrae, hujusmodi arcus distinctis coloribus insignis efformatur. At vero haec omnia, quae ad generationem ejus concurrunt (a-

 junt

junt sic animati) potuerunt existere ante diluvium. Etenim fuit sol, fuere nubes, fuerunt caetera iridis requisita. Quanquam igitur extiterit, *qua materiale*; tamen *qua formale* ob infirmitatis humanae confirmationem a Deo tanquam signum diluvii universalis non reducendi, juxta eosdem in nubibus fuit posita. Nos ea, quae in contrariam sententiam ascisscit *B. D. Pfeifferus* l. c. autoritatibus bene multis suffulta, probe expendentes, nostram in conflictu itidem exponemus sententiam, & tritum illud *hoc age* in praesentia obtinentes, inhaeremus, quoties in iridem intuemur, applicationi Evangelicae, cujus jam antehac meminimus, Esaianae.

INVOLVULUS III.

De Japheto, ad tentorium Semi h. e. veram ecclesiam allecto v. 26. coll. cum Rom. XV, 9. seqq.

PAraphrastes Chaldæus Textum isthunc ita transvertit: *Dilatet Dominus Japhet, & habitet divinitas ejus in tabernaculis Schem, sitque Canaan servus eorum.* Unde patet, quod istud ישכון *habitavit*, non ad Japhetum, sed ad DEUM ab eodem Interprete referatur. Et laudat hic *B. Dorschеus noster Pentadec. p. 92.* piam illam sententiam, juxta quam insignis prophetia de incarnatione Filii DEI hic contineatur, cum dicatur Deus habitaturus in habitaculis Semi; esse quippe eam primam distinctionem divinitus revelatam, qua definiatur, ex qua demum stirpe Noachica Humanam Naturam esset assumturus; & hinc Johannéam aliorumque Apostolorum phrasin esse ortam de κατοικήσει, σκηνώσει,

κατα-

κατασκηνώσει Joh. I, 14. & Coloss. II, 9. quæ originem trahit a שׁכן *habitavit*; unde etiam singularis Dei præsentia שׁכינה vocari soleat. Ipsum quoque verbum יפת ambigitur, qualem habeat radicem. Quidam opinantur a יפה *pulcher fuit*. Sed hæc quidem derivatio destituitur analogia Grammatica. Alii deducunt a פתה *persuasit*. Cui ipsi etiam Lutherus, cujus versio Germanica nota est, in paraphrasi in Genesin, adstipulatur. Enimvero *dilatandi* significatio, utut Chaldaismum sapiat, pariter rejicienda non videtur; quocirca de hac annotandum, quod velut dilatatio de benedictione corporali, sic habitatio de spirituali a quibusdam exponatur, tametsi, qua rem ipsam, utraque tandem benedictio, corporalis & spiritualis, divinitus orta, in Japheto conveniat, & cum dilatatio persuasoria, tum persuasio dilatatoria in ejusdem posteritate concurrerint. Notum enim est, ipsi & posteris ejus totam fuisse attributam Europam, majorem item Asiæ partem. Idem vero spiritualiter etiam habitavit in Tabernaculis Semi propter vocationem posterorum suorum ad veram Ecclesiam, quæ ex Semitis & Japhitis, h. e. ex Judæis & gentibus, in unum corpus mysticum coaluit. Japhet igitur & Sem pater sunt ortu & fide impares, quod ex Sem vel Judæis salus est, Joh. IV, 22. Japhet autem est insititius, Rom. XI, 19. Hanc vocationem gentium in V. & N. T. cum a Prophetis, tum ab Apostolis prorsus evangelice decantatam novimus. Hic est unus grex unius Pastoris; hic est diruta macerie cœtus antea geminus, nunc magis magisque coadunatus. Hic est totus Israel, qui salvabitur. Id quod certe Evangelium veluti Ps. CXVII jamdum fuerat decantatum; ita quoque a Paulo Apostolo Rom. XV, 9. seqq. inculcatur. Conf. *B. D. Waltherus Offic. Bibl. repositor. poster. p. 735. seqq.*

Plura quo minus persequar, angustia temporis & iter proxime instans sunt impedimento. Sufficiat itaque hæc ex novem anterioribus capitibus Geneticis in medium protulisse, quæ *involulorum* nomine insignire placuit, ab herba, inter fruticeta nascente, lilii candorem referente, & facile complicabili, quam *Plinius* convolvulum vocavit *Natural. Hist. lib. XXI. cap. V:* denominatione petita. Quæ enim ab aliis explicatius tradita fuerant, eadem ipsa, uti in præloquio monitum, hic per מגלות *involucra* quasi implexa constringere & compendifacere volui. Scripserint alii in has Mosis Evangelistæ periochas floridissima commentationum & considerationum lilieta; a mea tenuitate non nisi involvuli, liliorum quasi æmuli, expectabuntur. Plura forsitan, Deo vitam & sanitatem clementer concedente, imposterum sum additurus, & tanquam ex oceano in alios rivulos derivaturus. Quemadmodum vero Numinis sanctissimi auspiciis hunc laborem suscepi; ita quoque eundem, secunda fortuna finitum, in ejusdem Sacrosancti Nominis gloriam concludo. Tibi itaque, Pater clementissime, ex intimi animi sensibus grates persolvo humillimas pro singulari præstito auxilio. Te enim Duce, me ad hanc inclutam officinam accessisse, Teque Duce studia Altdorfina non modo feliciter inchoata, sed etiam rite consummata esse, publice deprædico. Tibi itaque, o Pater Luminum, pro hoc & aliis nullo numero terminisque describendis beneficiis, quæ in me a teneris quam largissime non modo collocare, sed & iisdem me plane obruere non dedignatus fuisti, sit laus, honor & gloria in nunquam terminanda secula,

A M E N.

NOBILISSIMO, PRAECLARISSIMOQVE
DOMINO RESPONDENTI
SS. Theol. & Ministerii Candidato dignissimo,
Gratiam & Pacem a Patre luminum unà cum omnibus Spiritus Sancti charismasi precatur
PRAESES.

SEmestri abhinc tempore huc ad nos commigrans, mearum ædium limina salutasti, & pro consueta Tibi modestia petiisti, ut universæ Theologiæ stadia tecum emetirer. Nolui deesse petitis adeo honestis, & meam Tibi lubens meritoque locavi opellam. Posteaquam igitur volvimus lapidem isthunc multijugum, possum id de Te affirmare, quod omni cum pietate, alacritate, industria & tolerantia opus Domini feceris. Ego vero nihilo secius reipsa comperi, Te antehac in incluta Leucorea Scholas, præsertim Neumannianas & Wernsdorfianas, non inutiliter salutasse. Harum igitur fundaminibus probe jactis meorum quoque τῶν ἀκουσμάτων τὸ ἐπιβάλλον μέρος superstruere allaboravi. Et quoniam in recitandis ad populum sermonibus homileticis δύναμις ἑρμηνευτική satis auspicata Tibi divinitus obtigit, idcirco bonum factum arbitror, quod ad hoc quasi centrum omnes studiorum tuorum Theologicorum lineas retuleris; siquidem is multa Virorum Dei scrinia excusserit, oportet, qui solide ac dextre hoc calamo labellum terere aveat. Quorsum tetendit hæc ipsa quoque Disquisitio Philo-Theologica, quam lucubrationibus Tuis, ceu sigillum, apprimere volupe fuit. Cum enim detur Vetus Testamentum Evangelicum, legali oppositum, non mirum, neque novum est, Mosen choragio Evangelistarum ita inserere, ut, tanquam Antesignanus, primum occupet locum, & pedibus evangelizantium immixtus, τὰ πιστευτὰ de gratia Dei & gratuita remissione peccatorum, propter Mes-

siam a pœnitentibus f
quum est, ut Tibi de
ctiorum periodo ex a
religiosiori millecuplam
gnitas Illustris axiomat
q; numero Medicorum l
diorum paternorum a
rum, ex Tuis in
pe curarum paternar
in emolumentum Eccle
de ergo, MI VEN
TE, bonis avibus, C
lo divino ac tutela An
stra Palecome memori
admirati sunt multi,
impigre gessus accele
componerent, ut laud
decenter, pie, gravit
bebam hac Dominica
ποιμένα, qui vitam su
ipse Te quoque constit
ut ad pascua Verbi &
deducas, baculo fœde
neratum sanes, fract
errabundum revoces,
cando, vigilando, doc
do munia fidelis anim
dorum, Operarii &
dotes Tuas, Ecclesia p
signem animarum mu
æterna gloria brabe
salutem ovium ex

...entibus peccatoribus obtinendas profiteatur. Reli-
... Tibi de consummata hac Tuarum operarum san-
...odo ex animo gratuler, apprecatus proposito Tuo
...illecuplam ex alto benedictionem. Sospitet divina Beni-
...s axiomatos Virum Dn. PARENTEM Tuum, eundem
...dicorum longævorum interserat, ut multo plures gau-
...rnorum accessiones, quam adhuc persensit, imposte-
... Tuis incrementis decerpat. Uberrima quip-
... paternarum messis est, divinæ gloriæ dicatos liberos,
...tum Ecclesiæ patriæque efflorescentes, conspicere. Va-
...I VENERABILIS DOMINE CANDIDA-
...ovibus, & iter Tuum, quod agis, sub umbracu-
... tutela Angelica feliciter absolve. Relinquis in no-
...ne memoriam cum raræ & singularis industriæ, quam
...nt multi, qui Te indies ad acroases Theologicas tam
...ssus accelerantem viderunt (quod utinam ita sese
..., ut laudabili æmulatione æquipararent!) tum vitæ
...ie, graviter & Tua persona digne transactæ. Scri-
... Dominica Misericordias Domini, qua Bonum Ἀρχι-
...i vitam suam posuit pro ovibus, concelebramus. Hic
...ue constituat bonum & fidum Pastorem sui gregis,
...a Verbi & Sacramentorum illum prospere & auspicato
...aculo fœderis legalis atque Evangelici dirigas, vul-
...nes, fractum & debilitatum confirmes, perditum &
...a revoces, pinguem & robustum conserves, & præ-
...lando, docendo, adhortando, dehortando, consolan-
...delis animarum, ovium & agnorum Tibi concreden-
...rarii & Ministri exequare. Crescere faxit indies
... Ecclesiæ purioris bono sacratas, quibus lucrari in-
...narum multitudinem possis, & cum ipsis aliquando
...riæ brabeum deportare! Faxit per vulnera, ob
... ovium exantlata, supremus animarum Episcopus!
Amen!